



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Andreæ Vallensis Vvlgo Del Vavlx Andanensis, I. V. D. Et  
In Alma Academia Lovaniensi SS. Canonum Professoris  
Ordinarii, Paratitla Ivris Canonici Sive Decretalivm D.  
Gregorii Papæ IX. Svmmaria Ac ...**

**Delvaux, André**

**Coloniæ Agrippinæ, 1686**

16. De Privilegiis remedio attentatorum competentibus.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62177](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62177)

fuerit intimata Iudici & parti: nam alias Iudex & pars, ignorantes appellationem, possunt de jure procedere in causa, nec revocantur tunc per eos attentata Maranta *d. loco* Secus in extrajudiciali, in qua revocetur, licet non fuerit intimata appellatio, ut *ibid. tradit n. 403.*

7. Potest autem peti revocatio attentatorum in quacumque parte iudicii, usque ad conclusionem in causa, non ultra, Maranta *d. loco* Gaill. 1. *Observi 46. n. 10. Rota 27. Decis. Licet pars, in novis hoc sit.* Quod intellige quoad attentata ante conclusionem: nam secus obtinet in commissis post conclusionem.

8. Petuntur revocari dupliciter: aut implorato principaliter officio Iudicis, pro ipsorum revocatione, aut accessorie, proseguendo appellationem, Et hoc casu, quamvis super libello attentatorum contestata lis fuerit, si à causa principali separari queant, revocari ante sententiam definitivam poterunt: alias si talia sint, ut non possint rescindi nisi per sententiam definitivam, ea expectanda erit, ut in casu *l. Chronographis §. 1. D. De administrat. tutor* Gaill. 1. *Observi 46. n. 8.*

9. Cum verò attentata fiant aut per partem aut per Iudicem, & utroque casu ante omnia revocanda sint, prout latè tradit Monachus in *e. Cupientes n. 132. cum seqq. De elect. in 6.* multum interest, utrum appellans, an appellatus attentet: quia si appellans aliquid attentet, quod sit contra propriam appellationem, veluti si pendente appellatione adversarium sua possessione, quæ controversitur, spoliat, eo ipso tanquam sibi contrarius censetur non deferre propriæ appellationi, & jus sibi ipsi dicendo contemnere Iudicem, sicque indignum se appellationis beneficio facit; eum frustra legis imploret auxilium, qui contra legis nititur voluntatem, *e. Bona memoria sup. De elect. lega. Auxilium §. fin. D. De minorib. Ac* proinde sententia à qua statim transit in rem iudicatam; eamque Iudex à quo potest executioni mandare, petinde ac si nunquam fuisset appellatum, *e. Cum stat. 5. h. t.* Nec hoc casu opus erat appellato exhibere libellum, ut attentata revocentur, sed solum ut iis probatis Iudex appellationis causam tanquam desertam pro executione ad Iudicem à quo remittat. Secus autem, si attentata non sint contraria appellationi, quia

eo casu revocari debent. Videatur Gaill. *d. Obs. 146. ubi n. 19.* tradit, quo pacto pronuntiaci debeant, quando appellatus vel Iudex à quo pendente appellatione attentat.

## §. XVI.

De privilegiis remedio attentatorum competentibus.

1. Huic remedio non potest opponi exceptio proprietatis.
2. Nullam requirit prioris status justitiam.
3. Non requirit ordinem iudicarium.
4. Agenti hoc remedio non potest opponi exceptio excommunicationis.
5. Datur adversus quemcumque possessorem.

1. **R**emedio autem attentatorum plurimum competunt privilegia, estque longe promptius remedium spoliato seu turbato in sua possessione, quam interdictum unde vi: nam licet spoliatus ante omnia sit restituendus, ita et attentata & innovata ante omnia sit revocanda, *cap. non solum hoc sit. in 6.* tamen agenti, ut attentata revocentur, non potest opponi ulla exceptio proprietatis aut potioris juris, *Afflicti. Decis. 352.* sed sufficit constare quoquo modo, adversus eum attentatum & innovatum fuisse. At verò agenti interdicto unde vi, notorius defectus proprietatis objici potest, & saepe restitutionem remoratur, *e. Ad decimas De vestitut. spoliatis in 6.* Item opponi potest exceptio alieni spoli cap. 2. §. *sed quoniam sup. De ordine cogniti.* Innovati autem revocationem non moratur partis adversæ attentatum: licet de eo quoque revocando æque expedite agi possit, utriusque parti ex æquo patente Iudicis officio, *Panormit. in e. Bona memoria 51. h. t.*

2. Insuper in interdicto ex causa spoliis requiritur allegatio & probatio seu justificatio alicujus tituli, saltem colorati, *Clement. 1. De causis possess. & propriet.* non verò in remedio attentatorum, in quo nulla requiritur prioris status justitia, sed sufficit sola veritas.

3. Præterea in interdicto, quia est ad instar actionis, §. *ult. Institut. De interdicti* ordo iudicialis observandus est: nec sine libello, litis contestatione, & aliis, quæ in ordinariis iudiciis plerumque requiruntur, ad restitutionem pervenitur, *cap. 2. sup. Ut lice non contestata.*



In revocatione verò attentatorum, si notoria sint, non requiritur ordo iudiciarius, nec litis contestatione opus est, sed implorato iudicis officio mercenario proceditur de plano, cum sola citatione & causæ cognitione aliis solem-nibus omisus, *d. c. ult. sup. De ordine cognit. c. 1. Vs suspendens l. n. 6. Gaill. d. Observ. 146.* Quoties enim aliquid iudicis officio mercenario explicatur, non est opus libello, sed de plano proceditur *DD. ad rubr. D. De interrogat. actionibus.* Imò iudex ex officio parte non petente, & sic non jure actionis talia attentata revocare potest: quia per attentata plus iudex quam pars læditur, & lex prohibens lite pendente aliquid innovari, contemnitur, *Gail. d. loco.*

4. Rursus agenti interdicto potest objici exceptio excommunicationis, quia pro actore habetur, *c. Intelleximus sup. De iudicis, c. Cum in-ter c. ult. sup. de except.* non etiã petenti revocationem attentatorum, *Decius Cons. 200. col. fin. vers. Secundo.* Ratio est, quia ista petitio saltem in appellatione judiciali magis sapit naturam defensionis, quæ excommunicato per-mittitur, *d. c. Intelleximus & d. c. ult. De except.* quam actionis seu impetitionis, quæ excommu-nicatio denegatur.

Dixi, saltem in appellatione judiciali, quia cum extrajudicialis appellatio, præsertim quæ à parte interponitur, non tam sit appellatio, quam provocatio ad causam, *c. Cum sit 5. vers. Si verò h. 1. & pro actione magis sit, l. qui ap-pellat, 29. D. De iudicis.* verius videtur, quod in hujusmodi extrajudiciali appellatione petenti revocationem attentatorum obstat exceptio ex-communicationis, quia illa verè agenti objicitur, non autem defendenti. Secus in ea, quæ à iudice interponitur, præsertim in mixta execu-tione, quia cum sit quoque species defensionis, apparet verius exceptionem excommunicationis non posse morari attentati revocationem.

5. Denique interdictum unde vi non datur contra quemcumque, sed eum dumtaxat, qui vi deiecit, vel deieci mandavit, aut deiectionem, suo nomine factam, ratam habuit, *l. 1. D. De vi & vi armata, c. Cum ad sedem, c. Sapè sup. de resti-tut. spoliat.* Et ideo ne quidem datur adversus eum, ad quem res sine vitio spoliū pervenit, v. g. contra emptorem rei, ab alio per vim occupatæ: & quidem jure Civili indistinctè, jure autem

Canonico, si modò ad eum bonâ fide pervenerit, *d. c. Sapè.* At vero remedium attentatorum da-tur adversus quemcumque possessorem, sive bonâ fide sive malâ, sive scienter sive ignoranter, sive per partem, sive per iudicem res ad eum pervenerit, *c. Ex parte sup. de restitut.* Non quòd attentatum gravius sit, quàm spoliū, quippè cum spoliator sit prædo, qui vim vel publicam vel privatam committit, *l. 1. §. nequid autem, l. Si de fundo D. De vi & vi armata; & atrocitatem facti in se contineat, d. l. 1. §. interdictum;* nec verba sufficiant, *l. Si quis uxori §. neque D. De furtis;* attentatum verò sine ulla specie delicti fieri possit: sed quia qui attentat non solum ad-versarium lædit, sed & iudicem, & quidem magis offendit & legis prohibitioni resistit.

## §. XVII.

Quænam iudici vel partibus, pendente appellatione, liceant.

1. Pendente appellatione licet non allegari allegare, &c.
2. Potest fieri innovatio contra tertium.
3. Quæque fieri poterant pendente causâ principali.
4. Similiter denunciare licet quem excommunicatum.
5. Si frivola sit appellatio, verò proceditur ad executionem sententiæ.
6. Pendente appellatione licet facere, quæ eandem promoveant.

POTIÒ tametsi regulare sit, pendente appella-tione, nihil innovandum esse, plurima tamen tum iudicis, tum etiam partibus, pendente appellatione, permissa sunt.

1. Nam in primis utrique parti licet non propo-sita proponere, & non probata probare, at-que exceptiones opponere, modò tamen actio-nem & causam; coram iudice à quo propo-sitam, respiciant, & ei connexa sint, *l. Per hanc Cod. de temporib. appellat.*

2. Secundo, potest innovatio fieri contra ter-tium, etiam super eadem re, si nihil interfit appellantis eam innovationem fieri, vel non fieri. Exempli gratia, si ex duobus reis deben-di in solidum unus conventus & condemnatus appellaverit, non obstante ea appellatione, alius conveniri, & adversus eum iudex æquè

I i pro-